N.

Mi fili dilectissime.

Propemodum praeterierat me, hodie diem esse epistolarem. Id nunc venit in mentem, dum in eo sum, ut mediter lectionē in crastinum. Non volui tempus hoc praetermittere, quia Scriptor tuus totum Jeremiam absolvit. Eas chartas mitto. Sunt 15½ folia. Pecuniam ei repraesentavi. Mittunt etiam mear tibialia uxoris rubro colore infecta. Precium est 10 st. Ego in Lexico meo perveni ad [illegible] Heidanus ante obitum initiavit aedem ligneam. Jam laborant de vocatione nova. Consenserant in Amiam: sed dominus Johannes dicitur novo artificio obrepsisse Senioribus et Diaconis, quibus persuasit, ut nominarent cum eo d. Bruynsis Ciricum; tanquam consentientibus Concionatoribus. Hoc in aurem mihi dictū. Velim scire, quid de D. Bruynsis sentias. Rogavit me Heidanus, quid sentirem de Rait Flissingano, et Costero Hornano, et Oldenburgensi Hoornbeeck. Solum dixi me nosse, respondi, qui quum apud nos studeret, noster erat et proficiebat pulchre. cui etiam vox est. Quid denique futurum sit, nescio. Incipiunt sibi invicem fratres exprobrare artes. Illi, quibus ea exprobrantur, conscientiam praetexunt. At ipsi antea et rogaverant et monuerant, ut inter se consentirent, tum facile ipsis seniores et Diaconos assensuros. Ita agitur. Apparet, Deum quidem doctores dare Ecclesiis, sed nō sine infirmitate eorū, quibus commissum est id negociū, ut eos legant: atque etiam saepe in ira dare, quando populus scabiosus est aut prurit auribus. Ego te cupio esse bono animo. nec dissimulabo: visus es es mihi, quum apud nos esses, maestior et abjectiori animo. Sit nobis satis, quod te Deus voluit alicubi verbum suum annunciare. Quod ut alacriter facias, interest Ecclesiae Deī. Caeterū nos omnes valemus, Deo sit gratia. Jacobus Messisius, qui in Frisia Concionator fuit, diem suum obiit. Regensis is filius est. Valere vos et parentes tuos cupimus.

Lugduni a. d. 3. Septemb. 1663.

T. amantissimus

Joh. Cock

De his ex te cupio cognoscere.

D. Buchmannus Ultrajecti fit pastor.

Reverendo et doctissimo
D. Gulielmo Anslario
V. D. M.

Biezelinge.

Middelburg ten huyse
van Myn Heere
Jacobus Anslaar AA35
bedienaer des H.
Evangeliums.

met een pacquet.